promptuaria introiuimus. in quibus nec aretina uasa. nec samia. sed
crisendica et anaglipha uidebamus. Parte una. messoria.
parapsides. patenas. lances. gauata. conchas. apoferetia.
salina. acetabula. trisiles. Parte altera. poculorum genera.
fialas. pateras. crateras. ciatos. cimbias. calathos. calices.
scalas. ampullas. Parte tercia. enofora. flascas. lagenas.
situlas. cantaros. idrias. catinas. orcas. urceolos. urceos.
sina. seriolas. dolia. cuppas. olearia etiam. ernucadia. scor-
tias. lenticulas. In perticis etiam appendebant toralia.
mappe. mantilia. gausapes. manutergia. facitergia.
Inde egressi in palacium regredimur. Erat autem sarcitecto-
ris non cementarii artificio ex scindulis non ex lapidibus
per suscudines et epiros affabre iunctum atque compactum.
Quid ergo inquit consobrinorum qui aderant unus. tu cum sis na-
tione anglicus. patria balsamiensis. genere beluacensis.
mansione iam diutiore quam uoluisses parisiensis. numquid
alibi rurale edificium huic simile uidisti? Nonne tibi
honestius iudicares rure paterno frui. quam salarii
lucello addictum esse? Cui ego subridens interrogatio-



nibus inquam istis et duabus et tam longis et pluscula medita-
tione circumuoluendis. tam subito respondere non aggrediar;
Et iam circuitu peragrato ab occidentali domus fronte qua
prius in meniana exieramus. ad orientalem inquam nunc a promp-
tuariis uenimus. Egredimur deinde a latere septentrionali
ubi ostium patebat meridiano quo primum intieramus oppositum.
et thalamum a latere dextro inspicientes ultra uirgultum
gineceum a longe perspectum prius adiuimus. In quo telarum stamina.
tramas. insubulos. lycia. radios. panulos. uidebamus. Glo-
bellos etiam et maxaxelas. alibia. calata. que magis lati-
ne quasilla dicuntur pensis plena. Lanam etiam et linum. bissum.
cannabum. fibrinum. sericum. placium. Inde reuertentes.
thalamum uelo et auleis non cortina et cilicio ornatum in-
gressi sumus. In quo cum plurima uehementer miraremur. ues-
tes expositas. materia. textura. colore. specie differen-
tes. primo intuiti sumus. Materia. sericas. bombicinas.
olosericas. tramosericas. byssinas. lineas. linestinas. fi-
brinas. melocinas. quas mauellas uocant. Textura.
trilices. tallas. acupictas. laculatas. leudenses. pauiten-
ses.